

TRIANGULORUM COMPARATIONIBUS MUTUIS.

**I**psa autem Triangula quomodo invicem comparentur, docebunt sequentia V. Theoremata.

*Nisi ob maximam hujus & precedentis capituli affinitatem, multa prius dicta essent: plura Problemata constitui potuissent de Triangulorum comparationibus. Verum cum sedulo lectori facile se omnia offerant ex antecedenti capite, quæ huc faciunt: nolui cramben bis coctam apponere. Quin potius solertia etiam private cujusvis ut quedam reliquantur non puto non inconueniens omnino esse. Cur verò in diversis capp. ista proposuerim, causam hanc habeo, quod in precedenti capite primario respexerim ad partium Triangularium mutuam proportionem: in hoc autem imprimis ad ipsorummet Triangulorum equalitatem vel inæqualitatem digitorum intendam.*

**THEOR. I.** *Triangula si equantur angulis æquicruris: sunt æquiangula & æquilatera: & contra, si variabunt angulis æquicruris, hoc est, si æquicrurorum angulorum unus altero major est: sunt inæquilatera & inæquiangula.*

Angulum Æquicrurum dico respectu comparationis duorum pluriumve Triangulorum, non quod crura alicujus Trianguli ponam æqualia, qua ratione totum Triangulum dicitur æquicrurum: sed, quod crura anguli certi in Triangulo uno intelligam æqualia, cruribus anguli cujuscunq; in Triangulo altero. Hac enim ratione mihi uterq; angulus dicitur Æquicrurus. Ut in Triangulis ABC & DEF etsi non (ex ijs quæ capite VI sunt dicta) æquicruris, anguli tamen ACB & DFE sunt æquicruri; quia crura AC & CB angulum ACB in Triangulo ABC comprehendunt, æquan-

